



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. Mores Hibernorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 3. *Qualitas Hibernia.*

FERTILITAS ei denegatur à Pomponio Mela, propter cælum ad maturanda femina iniquum; sed herbarum luxuries tanta tribuitur, vt hîc peccora rumpantur nisi prohibeantur pastu: quod æstate tantùm contingere, ait Solinus.

PROPRIETAS huius insulæ triplex, 1. Quòd hîc nullus nascatur anguis. 2. Quòd hîc aues raræ. 3. Quòd in eâ Apis nusquam videatur, imò indidem elatus puluis aut lapilli apes abigant ex alueariis.

§. 4. *Mores Hibernorum.*

1. *Crudeles* ab omnibus depinguntur: Gens inhospita, sanguine interemptorum priùs hausto vultus suos oblitit, *Solinus.*

2. *Pugnaces*: quare fœmina enixa marem primum cibum infert in os paruuli, mucrone mariti sui, optatque vt inter arma tantùm oppetat. Item omnis virorum gloria in armorum nitore. *Idem Solinus.*

3. *Turpissimi*, vt potè qui palam cum fœminis miscerentur, imò & cum fororibus, & matribus, *Strabo.*

4. Denique *impj*: Fas & nefas eodem animo ducunt; *Solinus.* Omnium virtutum ignari, & pietatis admodum expertes. *Mela.*

§. 5. *Politia Hibernorum.*

CREDIDERE aliqui Hiberniam venisse in potestatem Romanorum propter istud Iuuenalis,

— *Arma quid*

Vltra littore Iuerna promouimus?

Et Panegyristam Constantio dicentem recuperatam ab eo Britanniam, & omnes nationes terminis huius insulæ cohærentes; sed eas nunquam vidisse Ro. probabilius videtur: nam Iuuenalis de Orcadibus loquitur suo tempore domitis; Panegyricus omnia more suo amplificat. Sanè sub Domitiano, Agricola Regem huius insulæ detinuit intentus in occasionem eius regionis inuadendæ. Sub Honorio autem Imperatore occupata fuit à Scotis, quòd spectat illud Claudiani,

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.